



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

2. de Materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

autem certò & absolutè promiserit remissionem peccatorum iis, qui tali ritu vsi fuerint, colligere debemus, id ipsum fecisse ex Christi voluntate ac institutione.

Sacramentum extremæ Vnctionis est consummationem Pœnitentiæ, ideoque credibile est hæc duo Sacramenta simul instituta fuisse, scilicet post resurrectionem Ioan. 20.

S. Patres, præcipue S. Chrysostomus, Origenes, Augustinus, Innocentius, Beda, Concil. Cabilon. Concil. Aquisgranense, Moguntin. de Sacramento extremæ vnctionis testimonia præbent.

C A P. II.

De materia huius sacramenti.

Materia remota huius sacramenti est oleum ab Episcopo prius benedictum. Prius patet ex S. Iacobo cap. 5. posterius ex Ecclesiæ traditione & praxi, eius congruam rationem attuli supra in tract. 3. c. 2. n. 2.

Oleum extremæ Vnctionis debet esse simplex non mixtum balsamo, sicut in S. Chrismate quia balsamum significat odorem bonæ famæ, quam baptisati dum viuunt, per bona opera & exempla seruare debent, oleum autem simplex, quo bonæ Conscientiæ tranquillitas significatur, mox morituris sufficit. Quod si mixto oleo seu chrismate conferatur hoc sacramentum, incertum est an valeat, tamen nihil repeti debet.

Cccc 3 Tria

3 Tria olea sacra in cœna Domini presbyteris dantur, oleum catechumenorum, oleum infirmorum, & Chrisma, vnde cum singulare oleum detur pro infirmis, non est extra omnem dubitationem, vtrum valeat sacramentum extremæ vnctionis, si fiat sacro Chrismate, eò quòd materia hæc, non tantum diuersam consecrationem habeat. sed etiam saltem morali æstimatione, diuersum vsum & applicationem fortiatur, cum sit mixtura artificialis. Nilominus si sacerdos per errorem infirmum Chrismate vnxit, non debet, vt dixi, repeti, tum propter scandalum, tum quia valdè probabile est, Sacramentum extremæ Vnctionis validè conferri in materia S. Chrismatis, seu, quia olim consuetudo erat, talem materiam adhiberi, vt Suarez existimat, seu quia mistio balsami tam exigua esse solet, vt oleum nec physicè, nec omninò moraliter suam naturam exuisse censeatur: quod verò hac vel illa benedictione oleum consecratum sit, non videtur pertinere ad substantiam sacramenti.

4 Oleum vetus, superueniente nouo, post Cœnam Domini, in lampadibus Ecclesiæ ante venerabile sacramentum ponendum, & comburendum est, veteri tamen in necessitate parochus vri potest, vsque dum nouum adueniat.

Materia proxima huius Sacramenti est vnctio saltem quinque sensuum, facta manu sacerdotis: pedum verò & renum vnctiones, non sunt de Essentia Sacramenti: sufficit quoque ad va-

ad valorem Sacramenti, vnum oculum, vnum aurem, &c. inungere, sed talis inunctio sine necessitate non est introducenda contra consuetudinem Ecclesiæ.

Ratio autem congruentiæ, cur 5. sensuum inunctio sit materia proxima, est, quia 5. sensus sunt quasi origines seu receptacula peccatorum per extremam Vnctionem abstergenda.

Si infirmus manibus careat unguenda est caro 6 propinqua, item si oculus careat, locus oculorum. Nam licet homo qui caruit visu perpetuo, non potuerit eo sensu peccare secundum effectum, potuit tamen secundum concupiscentiam videndi.

Sacramenta omnia cum Crucis S. figura ministrari solent, sed non de necessitate Sacramenti, nisi in Confirmatione, quippe in qua speciatim fideles signari debent, tanquam militantes sub signo crucifixi: nec mortale peccatum est sine Crucis signatione inungere infirmum.

CAP. III.

De forma huius Sacramenti.

Forma extremæ vnctionis deprecatoria esse I debet, talis scilicet; *Per istam vnctionem, & misericordiam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum: & similiter per alia membris.* Probatur ex Apostolo Iacobo. *Et orant super eum ungentes: tum ratione*
Cccc 4 diffe-